


Christoph Wölfflin Gottfried Nicolai

**Disputatio Theologica De Communicatione Idiomatum In Christo : ex
Praellectionibus Academicis in Cap. 4. ad Galat. Beati, de Ecclesiameritissimi
Theologi, Dn. Melchioris Nicolai, Theol. Doctoris ... desumpta**

Tubingae: Kerner, 1666

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn76984328X>

Druck Freier  Zugang



ad nos ad firmitatem gloriam que

In nobis meliora. **Quoniam**


est in se nobis ad eorum in unum


Et **Quoniam**


- 170 p. 1. Obligatio credendi in Xristum. I. W. H. f.
- 208 p. 2. Lapsus Adamis. I. W.
- 100 p. 3. Pœnitentia Tyriorum & Sidoniorum. I. W.
- 140 p. 4. Vindicie veritatis adversus Laurinensē. I. W.
- 424 p. 5. Mart: Lutberg à 7. characteribus bon: vindicatio. I. N.
- 23 p. 6. Umbellæ somnium. I. N. i.
- Ep. 275 p. Pro Quatuor Questiones - Controversæ. I. N. i.
- P. 220 p. 8. De Fide Iustificante. I. N. i.
- 1716 p. 9. Disput: Nicol: de Cœmunicatione Iohannatum


La - 1092 (89.)

Si fractus, datus Orbis
Impavidum ferient ruinae.









DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
COMMUNICATIONE
IDIOMATUM IN CHRISTO

ex Prælectionibus Academicis in Cap. 4.
ad Galat.

Beati, de Ecclesia meritiſſimi Theologi,

DN. MELCHIORIS NICOLAI,
Theol. Doctoris, ejuſque in Tubing. Academia quon-
dam Profeſſoris, Pro-Cancellarii, demum Præpoſiti Stutgardiani
deſumpta.

Et favente Divina Gratiâ,

Sub PRÆSIDIO

DN. CHRISTOPHORI WÖLFLINI,
Theol. D. & P. P.

ad defendendum ſuſcepta

M. GOTTFRID NICOLAI, Oſterdingenſis
Authoris Nepote,

*Dies & Octobr.
horis ſolitis.*

TUBINGÆ,
Typis exſcripſit GREGORIUS KERNER,

M. DC. LXVI.

SERENISS. WÜRTEMBERGIÆ
DUCIS

SENATUI ECCLESIASTICO
PER INCLUTO,
VIRIS

*Nobilissimâ Magnificentâ,
Dignitate Per-Reverendâ,
Munerum Meritorumq; Gloriâ
Præ-Eminentissimis,*

DN. NICOLAO MYLERO ab Ehrenbach / Ma-
gni Nominis Jcto, Sereniss. Würtemb. Ducis Intimo Status
Consiliario, & Consist. Eccles. Directori Gravissimo.

DN. CHRISTOPHORO ZELLERO, SS.
Th. D. Sereniss. Duci Würtemb. à Concionib. aulicis & Con-
fessionib. Sacris Præposito item Denckendorffensi dignissimo.

DN. JOHAN. CHRISTOPHORO HINGHERO,
Ecclesie Cathedralis Stutgardianæ Antistiti Vigilantissimo.

DN. JOHAN. FRIDERICO LAUXIO, Sereniss.
Würt. Ducis Concionatori Aulico meritissimo.

*DNN. Patronis, in Christo Patribus humili
Observantia & cultu perpetim de venerandis,*

Exercitio hoc se suaque Studia commendare
voluit

Clientis devotissimus

M. Gottfrid Nicolai, Resp.



DISPUTATIO THEOLOGICA
DE
COMMUNICATIONE DUARUM
NATURARUM IN CHRISTO.

Controversia, non minima Ecclesiarum per-
turbatione, agitur inter nos & Calvinianos; Non
utrum sit aliqua Idiomatum communicatio, quam
etiam Calviniani volunt videri concedere. Sed utrum
sit aliqua non tantum respectu personarum, quam illi ja-
ctant, sed etiam respectu naturarum, nempe à natura
ad naturam.

Ut autem omnes intelligant, quis sit Controversiæ status, & qua
in re versetur cardo totius negotii, sensum Adversariorum ipsismet eo-
rum verbis, ex tractatu Heidelbergensium, cui titulus est: *Aussführliche
Bericht, was die reformirte Kirchen in Teutschland glauben oder
nicht glauben. Item, was sie für Ceremonien gebrauchen/oder nicht ge-
brauchen/ sampt beygefügeten Ursachen/ warum sie eins oder das ander
thun/oder lassen/ getruet in Churfürstl. Pfaltz zu Heidelberg/ cum Pri-
vilegio &c. demonstrabimus negativè & affirmativè, & postea, quam
ille proposito textui parum sit consentaneus, quibusque causis neque
majores nostri consentire eis potuerint, neque nos adhuc calculum eis
nostrum adjicere possimus, ostendemus. Negativam suam his verbis
proponunt c. 6. p. 122. & 123. Unsere Widersacher sagen/wir lehren/das die
Göttliche und Menschliche Natur in Christo keine thätliche und wirk-
liche Gemeinschaft mit einander haben/ und das demnach der Mensch
Christus nicht in der That und Wahrheit; sondern nur mit dem blossen
Namen und Titel Gott seye. Item/das nicht in der That und Wahrheit
der Sohn Gottes/sondern nur ein blosser Mensch für uns gestorben seye.
Aber der Leser soll für gewis halten/das uns solche Gottslasterliche Ge-
danken nie in den Sinn kommen seyn; sondern gerad das Widerspiel
(En tibi negativam) haben wir iederzeit durch Gottes Gnade geglaube*

A 2

und

Galat. 4.
v. 5.Pract. Hei-
delb. c. 6.
pag. 122.
& 123.

4
und gelehret / glauben auch noch und lehren also ; Das die Göttliche und Menschliche Natur in Christo (En tibi affirmativam) die allerinnerste und genaueste Gemeinschaft mit einander haben / als welche beede zusammen in eine Person vereinigt seynd / und daß demnach der Mensch Christus nicht nur mit dem blossen Namen und Titul / sondern in der That und Wahrheit Gott seye. Item / daß nicht ein blosser Mensch / sondern der Sohn Gottes am Creutz für uns gestorben seye.

Ibid. p. 126.
& seqq.

Ulterioris declarationis causa addunt pag. 126. & seqq. Die Summa / inquit / gehet dahin / daß die Eigenschaften beeder Naturen in Christo / der einzigen und unzertrennten Person in Christo gemein seyen / das ist / daß man von Christo beedes der Göttlichen und auch der Menschlichen Natur Eigenschaften sagen und aussprechen könne / dieweil dieselbige beede Naturen in Ihm seyen ; Oder welches eben eines ist / daß man von Christo sagen könne alles / was von Gott / und alles was von einem Menschen gesagt werden möge / dieweil Er beedes Gott und Mensch ist ; Doch muß man solche Reden verstehen mit Unterscheid / also nemblich und dergestalt : Wann etwas Göttliches von Ihm gesagt wird / so muß mans verstehen nach der Göttlichen Natur ; wann aber etwas Menschliches von Ihme gesagt wird / so muß mans verstehen nach der Menschlichen Natur. Zum Exempel / man könne in der That und Wahrheit sagen von Christo : Er ist von Ewigkeit / und auch / Er ist in der Fülle der Zeit geboren. Aber nicht beedes nach beeden Naturen ; sondern jenes nach der Göttlichen / dieses nach der Menschlichen Natur / und seye nichts daran gelegen / mit was für einem Namen man die Person Christi nenne. Zum Exempel / man nenne Ihn Gott oder Mensch / Gottes oder des Menschen Sohn / so seye es ein Ding / dann man verstehe doch allezeit die Person / die zugleich Gott und Mensch ist. Darumb / wie man recht und wol sagen könne : Christus ist von Ewigkeit / also könne man auch recht und wol sagen : Des Menschen Sohn ist von Ewigkeit. Item / wie man recht und wol sagen könne : Christus ist von der Jungfrau Maria geboren / und am Creutz gestorben / also könne man auch recht und wol sagen : Der Sohn Gottes ist von der Jungfrau Maria geboren / und am Creutz für uns gestorben.

Status
Contro-
versie in-
ter nos &
Calvin.

Habemus hic propriis Adversariorum verbis expressum ipsissimum eorundem sensum. Communicationem Idiomatum constituentantum in nominum permutatione, vimque aded ejus omnem evanant. Ided enim æternitatem, v. e. volunt personæ communicatam videri

Idiomatum duarum naturarum in Christo.

3

deri, quia in persona est Divina natura, cui proprie & essentialiter convenit æternitas: Idem crucifixionem & mortem personæ volunt communicatam videri, quia in persona est humana natura, cui proprie & essentialiter convenit, posse crucifigi & mori; Atque hæc communicatio est plane nulla, & falsitatis apertissime convincitur.

Nam I. Dicunt æternitatem, mortalitatem & crucifixionem tribui personæ, secundum alterutram, illam quidem secundum divinam, hæc secundum humanam naturam. Notissimæ autem & indubitatæ veritatis est, non posse, quod subjecti proprium aut essentialiter est, eisdem per communicationem tribui; quia omne communicatum præsupponit suum communicans, cui cum proprie aut formaliter insit vel conveniat quod communicatur, non potest illud idem etiam ei, cui communicatur, proprie aut essentialiter tribui, nisi idem ipsum diversis aut discrepantibus naturis proprie & essentialiter tribuere absurdissime velimus. Exemplo rem propter simpliciores declarandum judico. Calor est in igne, ut proprium ejus, in ferro ignito per communicationem propter unionem cum igne; qui ergo diceret calorem tribui igni per communicationem Idiomatum, ille supponeret, calorem convenire igni propter conjunctionem cum alia naturâ, quod non esset, nisi asserere, calorem igni proprium, non esse igni proprium; propria enim ex suis subjectis resultant, quorum propria sunt, non ex conjunctione cum aliis naturis oriuntur. Immotum ergo hoc & præsuppositum est habendum; *propria ei naturæ, cujus sunt propria, non posse per communicationem Idiomatum tribui.*

Primum
Argumen-
tum de-
sumptum
A ratio-
ne.

Dicent autem Adversarii; se non tribuere propria per communicationem iis naturis, quarum sunt propria, sed personæ propter illas naturas. Æternitatem convenire personæ Christi, per communicationem, secundum divinam; Mortalitem secundum humanam naturam. Atqui dum vitant stulti vitia in contraria currunt.

Nam I. Persona non est tertium quoddam ex duabus naturis compositum; sed est, ut veteres locuti sunt, τὸ συναμφοτερον, utraque natura unita. Verbum non desit verbum, quod fuerat, sed mansit in ipsa incarnatione & unione quod fuerat; factum est caro, non mutatum in carnem, sed carni per unionem secundum subsistentiam unitum & communicatum. Ecclesia paucis verbis hoc complexa est, cum diceret; *Sum quod eram, nec eram, quod sum, nunc dicor utrumque.* Est enim

A 3

Chri-

Christus verbum, quod erat ab aeterno, nec erat quod nunc est, verbum
caro factum. Nunc utrumque dicitur, & verbum & caro.

Joh. Da-
masc. lib. 3.
de ortho-
doxa fide
c. 3.

Lubet in re maximi momenti adungere Johannis Damasceni te-
stimonium, qui lib. 3. de orthodoxa fide cap. 3. hæc habet: Nos Christum
non unius composita natura esse dogmatizamus, neque ex ἑτέρων ἑτέρον,
ex diversis diversum; quemadmodum ex anima & corpore homo est, aut
ex quatuor elementis corpus, sed ex ἑτέρων ἑτέρων, ex diversis eadem.
Nam ex divinitate & humanitate Deum perfectum & hominem perfe-
ctum, eundem ipsum & esse & dici & ex duabus & in duabus naturis con-
fitemur. Nomen autem Christus hypostaseos persona nomen esse dicimus;
non μονογενῆος unimode dictum, sed duarum naturarum significativum
existens. Ipse enim semetipsum unxit, urgens quidem ut Deus corpus
suum divinitate, unctus autem ut homo. Ipse enim est hoc & illud; Dei-
tas autem est unctio humanitatis; Si enim Christus unius natura existens
consubstantialis est patri, erit ergo & pater compositus & consubstantia-
lis carni; quod absurdum est, & omnis blasphemia plenum. Quomodo
autem una natura contrariarum Essentialium differentiarum receptiva est?
quomodo fieri potest ut una natura secundum idem, sit creata & increa-
ta, mortalis & immortalis, circumscripta & incircumscripta. Si verò, qui
unius natura Christum esse dicunt, simplicem istam naturam dixerint, aut
nudum eundem DEVM confitebuntur, & phantasma introducent, non
ἐνανθρώπησιν humanationem; aut nudum hominem, secundum Nesto-
rium; Et ubi tunc erit perfectum in Deitate, & perfectum in humanita-
te? Et quando Christum duarum naturarum esse dicent, qui eum unius
natura composita esse dicunt post unionem? Nam quod unius natura Chri-
stus fuerit ante unionem, omni modo est manifestum.

Si ergo persona Christi non est tertia quædam natura ex divinita-
te & humanitate constituta & composita, sed est τὸ συνεμφύτηρον. am-
bæ naturæ, ἀσυγχύτως, ἀρρήτως, ἀδιάδοχως, ἀδιαιρέτως & ἀδιαιρέ-
τως conjunctæ; sequitur quidquid de personâ Christi per communi-
cationem Idiomatum enunciatum, id vel de totâ personâ ejusque utra-
que naturâ, vel de alterutrâ earum tantum enunciatum; Atqui non potest
quodcunque Idioma de tota personâ, ejusque utraque natura enunciatum,
ratio ex superioribus petenda est; quodlibet enim Idioma est alterius na-
turæ proprium, quod autem est alicujus naturæ proprium, illud de eâ
natura, cujus est proprium per communicationem Idiomatum enunciatum

non

non potest. Necessè est ergo quodlibet Idioma, quod per communicationem Idiomatum enunciatur de tota personâ, attribui alterutri naturæ. Non potest autem propter rationem jam dictam, attribui per communicationem ei naturæ, cujus est proprium. Necessè est ergo, ut ei naturæ, cujus proprium non est, per communicationem tribuatur.

V. C. fuisse ante Abrahamum Joh. 8. v. 58. prædicatur de tota Christi personâ per communicationem Idiomatum, quod omnes concedunt. Non potest autem per communicationem prædicari de divinâ naturâ, cujus est proprium, quia prædicatio per & propter communicationem, tollit prædicationem per & propter proprietatem. Necessè est ergo, ut per communicationem prædicetur de humanâ, quæ quamvis ipsa ante Abrahamum non fuerit, tamen facta est in plenitudine temporum verbum illud substantiale, quod fuit ante Abrahamum, imò quod Abrahamo, ut esset, dedit. Ortus enim humanæ naturæ in tempore multis seculis Abrahamum secutus, non probat, non fuisse eam ante Abrahamum communicativè, sed tantum non fuisse eam ante Abrahamum proprie.

Joh. 8. v. 58.

Verbum caro factum est inconvertibiliter, & caro facta est verbum immutabiliter, & Deus homo, quia Deus erat verbum, & homo Deus propter unionem secundum substantiam. Quam verè ergo caro est verbum, tam vere fuit ante Abrahamum: Atque verissimè; quia personaliter caro facta est Deus verbum, ergo verissime, quia personaliter caro fuit ante Abrahamum.

Damasc.

l. 3. c. 11.

Premendi sunt isto argumento Calviniani, neque ferendum, ut obtentu communicationis respectu personæ fucum imperitioribus faciant, verissimum est quidem; æternitatem tribui personæ Christi secundum Deitatem; mortalitatem secundum humanitatem; Hæc autem non sunt exclusivè accipienda; proprietates enim non excludunt communicationem; determinativæ istæ particulæ tantum naturas ostendunt, propter quas prædicata personæ tribuuntur, non excludunt naturas alias, quibus solum per communicationem convenire possunt.

Prædecessores nostri viri perspicacissimi hoc fundamentum validdè urserunt, Form. Conc. c. 8. de Persona Christi: *Cum autem, inquit, & occulti & aperti Sacramentarij sub hac regula, (quando dicitur, quod toti personæ tribuatur, quod uni naturæ proprium est,) perniciosum suum errorem occultent, dum totam quidem personam nominant; interim tamen unam eamq; (ut sic dicamus) nudam tantum naturam intelligunt, alteram autem penitus excludunt. Quasi nuda vel sola humana natura pro nobis*

Form.

Concord.

c. 8. de per-

sona Christi.

li.

D. Luth. in
Confess.
Maj. de
Coena Do-
mini.

nobis passa sit. Placuit D. Lutheri verba hoc loco recensere è majori ipsius de Cœna Domini confessione, in quibus de Cinglii ἀλλοσίᾳ agit, ut Ecclesia DEI, quam optimè adversus errorem illum præmuniat; Verba autem D. Lutheri sic habent: Hoc Cinglius vocat ἀλλοσίᾳ, cum aliquid de Divinitate Christi dicitur, quod tamen humanitatis proprium est, & contra; v. gr. ubi in Scriptura dicitur; nonne hoc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? ibi negatur Cinglius, quod vocabulum Christus hoc loco pro humana natura sumatur. Cave tibi, cave, inquam, tibi ab ista ἀλλοσίᾳ, est enim larva quedam Diaboli, qua tandem talem Christum fingis, secundum casus rationes ego certè nolim esse Christianus. Hoc enim illa vult, quod Christus nil amplius sit, aut efficiat sua passione & vita, quam alius quispiam sanctus. si enim persuaderi mihi patiar, ut credam, solam humanam naturam pro me passam esse, profecto Christus mihi non magni pretij Salvator erit, sed ipse tandem Salvatore eget, In summa, verbis explicari non potest, quid Diabolus per hanc ἀλλοσίᾳ molliatur. Et paucis interpositis: Si forte venefica illa Domina Ratio, cujus neptis est ipsa ἀλλοσίᾳ reclamare voluerit; dicens: Divinitas neq; pati neq; mori potest: Tu respondebis; verum id quidem est, nihilominus tamen, quia divinitas & humanitas in Christo unam personam constituunt, Scriptura propter hypostaticam illam unionem etiam divinitati omnia illa tribuit, qua humanitati accidunt; & vicissim humanitati, qua divinitatis sunt. Et sanè revera sic res sese habet. Hoc enim fateri te necesse est. Hac persona (monstrato Christo) patitur, moritur; Hac autem persona est verus Deus, rectè igitur dicitur; Filius Dei patitur. Et si enim una ipsius pars (ut sic loquar) divinitas videlicet non patitur; tamen ea persona, qua Deus est patitur in altera sua parte, nimirum in humanitate; revera enim Filius Dei pro nobis est crucifixus, h. e. persona, qua Deus est; ipsa enim, ipsa inquam persona crucifixus est, secundum humanitatem. Et rursus post aliqua; Si constabit ἀλλοσίᾳ, ut eam Cinglius proponit, in Christo duas personas esse necesse erit, divinam nempe & humanam, quandoquidem Cinglius dicta Scriptura de passione, tantum ad humanitatem insleçit, ea que per omnia à divinitate separat. Vbi enim opera divelluntur, & separantur, ibi etiam personam ipsam dividi necesse est; Cum omnia opera, omnes que passionis non naturis, sed persone tribuantur; persona enim ipsa est, qua omnia illa agit & patitur, hoc quidem secundum hanc naturam, illud verò secundum alteram naturam, qua sanè omnia viris eruditissunt notissima; quare agnoscimus Dominum nostrum Iesum Christum.

Deum

Idiomatum duarum naturarum in Christo.

9

Deum & hominem in una persona, non confundendo naturas, nec dividendo personam.

Falluntur Adversarii magno & periculoso errore putantes Idiomata relata ad personam, illi tantum naturæ convenire secundum quam referuntur ad personam, & propterea Lutherum quoad hoc sibi ὁμολοῦσθαι esse putant, quod & ipse actiones & passiones ad personam refert, secundum alterutram naturam ei tribuendas. Atque non ita est; Lutherus quæ personæ tribuuntur non ei soli naturæ vindicat, cujus propria sunt, propter quam personæ vindicantur; sed etiam per communicationem alteri unitæ. Dicit enim, quia Divinitas & humanitas sint una persona, ideo scripturam propter istam personalem unionem tribuere Deitati omnia, quæ humanitati contingunt, & e contra humanitati, quæ Divinitati contingunt. Damnat eos, qui dicunt solam humanitatem passam esse, qui dicta de passione, humanitati soli accommodent atque à Divinitate omnino removeant.

Falluntur iidem non minus periculoso errore putantes ea sola naturis vindicanda, quæ sunt earum propria; quid absurdius vel fingi potest? hypostasis ἔ λόγος non est humanitatis propria, an E. nullo modo ei conveniet? An non hoc pervulgatum & tritum est, apud Patres, maxime autem apud Damascenum: hypostasin ἔ λόγος factam esse carnis hypostasin? Si non est λόγος hypostasis carni facta hypostasis, quid aliud sequi potest, quam carnem vel esse ἐν ὑπόστασιν vel ἰδιοσύστατον? Si prius, ne caro erit: non enim subsistere potest quidquam sine subsistentia. Si posterius, non Deus erit: Non enim potest quidquam personaliter Deus esse, quod non subsistit subsistentia DEI. Si a. propria ἔ λόγος ὑπόστασις potest humanæ naturæ attribui, & necessario attribuenda est propter unionem cum λόγῳ, cujus formalis ratio in eo consistit, quod λόγος hypostasis, facta est etiam carnis hypostasis: nulla ratio est, cur non etiam alia Idiomata, quamvis τῷ λόγῳ propria, possint & debeant per unionem personalem carni assumptæ communicari.

Dicunt ipsi Adversarii, vel nulla, vel omnia, vel aliqua Idiomata communicari. Nulla communicari dici non potest; quia salva persona Christi, non communicari non potest hypostasis, quæ est plus quam Idioma, quia personam constituit. Aliqua communicari non omnia, itidem dici non potest; propter identitatem rationis, quidquid n. communicatur propter unionem personalem carnis cum λόγῳ communicatur;

B

Hæc

Hæc autem ratio non de uno magis, quam de omnibus militat; necesse est Ergo est dicere, omnia in communicatis esse habenda.

- Ex Scri-
pturâ. Quod ratio confirmat, hoc Scriptura demonstrat, cui vel maximè in abstrusissimis ejusmodi mysteriis est standum. Nam Paulus in Epist. Gal. 4. v. 4. ad Gal. c. 4. v. 4. dicit: *Deum misisse Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Qui missus dicitur, præexistisse oportet; quod enim non præexistit, non mittitur, sed vel creatur vel generatur. Exod. 23. v. 10. dicit Deus; *se missurum Angelum suum, præcessurum Israëlitas, & custoditurum eos in via & introduiturum eos in locum, quem præparaverit, non dimissurum peccata impunita, quia nomen suum in eo.* Omnes circumstantiæ loquuntur, Angelum istum increatum esse, non factum, Malach. 3. quia mittebatur; sed præ-existentm, ut mitti posset. *Malachia 3. 1. dicit Deus: se missurum Eliam Prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis, conversurum cor patrum ad filios & cor filiorum ad patres.* Quis dubitaret, Eliam istum, Johannem Baptistam, prius utero Elisabethæ conceptum & natum, quam ad tantum officium sustinendum mitteretur & destinaretur. Existimo tota Biblia volventi & revolventi ne unum quidem locum occursum, quo demonstraretur, *mitti esse idem, quod fieri aut generari.* Non enim mittit Deus res creandas aut generandas, ut fiant, sed creatas aut generatas, imò Filium & Spiritum S. etiam increatos mittit, ut iis ad beneplacitum suæ voluntatis utatur. Filius E. in sua *ὕμωστος*, qua ab æterno subsistit à Patre & Spiritu Sancto propria personalitate discretus, missus est in temporum plenitudine, ut fieret ex muliere & subiceretur legi. Non tota persona composita missa est, quia incarnatus non potest incarnari; sed Filius Dei simplex ab omni æternitate persona, communicanda sua hypostasi assumptæ carni, factus est persona composita.

Argumentor. Quicumque in plenitudine temporis missus & factus est ex muliere, ille priusquam fieret ex muliere, erat persona non composita, sed simplex; Atque Filius Dei in plenitudine temporis missus est, & factus ex muliere. E. priusquam fieret ex muliere, erat persona, non composita, sed simplex, non incarnatus, sed incarnandus, & consequenter, quod de eo dicitur, factum esse ex muliere, hoc non de persona tantum, sicut Adversarii volunt, sed etiam de divina natura characterem tamen nativitatis determinata, est accipiendum. Nam etiamsi persona tantum secundum humanam naturam sit facta ex muliere, tamen quod natura

naturæ illius est proprium, hoc per communicationem Idiomatum etiam tribuitur alteri naturæ, ut quemadmodum recte dicunt Adversarii, *Christum esse factum ex muliere, secundum humanam naturam*; Ita nos per Idiomatum communicationem cum Scriptura non minus recte dicamus: *Filium Dei λόγον, vel naturam Dei caractere geniti determinatam, esse factam ex muliere*, & quia quæ est unius, eadem omnium Idiomatum est ratio, eandem per communicationem Idiomatum, quæcunque sunt humanæ naturæ propria, sibi appropriata habere. Ut verissimè & propriissimè, per communicationem tamen dicatur facta ex muliere, passa, mortua, redemisse nos sanguine suo, quia humanæ naturæ, ipsi unitæ & communicatæ proprium est, fieri ex muliere, pati, mori, crucifigi, sanguinem fundere.

Juniores facilius intellectus causâ rem totam non parvi momenti, syllogismo disjunctivo concludant, hoc modo: Filius Dei, qui dicitur factus ex muliere, vel designat in concreto totam naturam compositam Christi, constantem ex divina & humana natura unitis; vel designat ejus personæ alterutram naturam, eamque vel divinam vel humanam.

Quartum non potest dari. Non autem potest designare totam personam compositam, constantem ex divina & humana natura, alioquin sequeretur, personam, quæ jam facta erat ex muliere, demum in plenitudine cœpisse fieri ex muliere, & humanam naturam fuisse ante sui conceptionem & nativitatem. Non potest designare humanam naturam, ea n. non est missa ut fieret, quasi præexistet suæ generationi ex muliere; quia eo ipso momento cœpit esse, quo cœpit fieri ex muliere. Et omnes concedunt, *quæcunque humana de Filio Dei prædicantur per communicationem Idiomatum prædicari; propria autem, de suo subjecto prædicari per communicationem Idiomatum nullo modo possunt. Necessè E. est, ut designet divinam naturam caractere geniti determinatam, atque de ea proprium humana natura, quod est fieri ex muliere, prædicetur.*

Non E. communicatio Idiomatum tantum in eo consistit, quod propria utriusque naturæ prædicantur de tota persona, quæ complexu suo utramque naturam continet, secundum suam quodlibet naturam. Sed & in eo, quod quæ isto modo de persona secundum suam singula naturam prædicantur, illa necesse est etiam de altera natura, cujus propria non sunt, secundum Scripturam per communicationem Idiomatum prædicari. Demonstravimus hoc evidenter, de propriis humanæ naturæ,

divinæ & λόγος naturæ tribuendis; quia a. est naturarum reciproca inter se communitio, ut non minus caro sit facta verbum, quam verbum factum est caro, ut supra ex Damasceno ostendimus; sequitur etiam, quæ de tota persona secundum divinam naturam prædicantur, etiam de humana natura propter communicationem Idiomatum esse enuncianda, & dicendum: Ut Filius Dei factus ex muliere verus & perfectus homo ex corpore & anima rationali constitutus, omnia sibi naturæ humanæ propria appropriavit, verè esurivit, sitivit, fatigatus vere, contumelias, probra, flagella, sputa, crucem denique & mortem perpeffus est. Ita idem communicando humanæ naturæ seipsum, eamque, ut Damascenus frequentissime loquitur *Deificando*, nihil non suorum divinorum ἀρχημάτων ei communicavit; ut quemadmodum cum Scriptura dicere possumus & debemus: *Dominum gloria esse crucifixum*, I. Cor. 2. v. 8. *Authorem vitæ esse interfecit*, Actor. 3. v. 15. *Deum suo sanguine redemisse Ecclesiam*, Actor. 20. v. 28. Ita etiam cum eadem dicamus. *Carnem & sanguinem Christi spiritualiter per fidem manducanda & bibenda esse*; Joh. 6. v. 53. *Datum esse Christo, ut homini, omnem potestatem in Cælo & in terra, cui ut Deo in tempore dari nihil potuit*, secundum vulgatissimam illam Theologorum regulam; *quidquid Christo in tempore datum est, secundum humanam naturam datum intelligendum esse*, Matthi. 28. v. 18.

I. Cor. 2.
v. 8.
Actor. 3.
v. 15.
Actor. 20.
v. 28.
Johan. 6.
v. 53.
Matthi. 28.

Johan. c. r.
v. 14.

Johan. 1.
v. 1. & 3.

Idem clarius etiam atque omni exceptione procul confirmat Johannes c. r. v. 14. dicendo. *Verbum carnem factum esse, & habitasse in nobis*. Admoliuntur hinc Adversarii omnes succum ingeniorum nervos, omnes argutarum suarum strophas, non tamen effugient, quin fateri cogantur; Naturam ipsam carnis, quæ nunquam non est stipata suorum Idiomatum choro, divinæ & λόγος naturæ esse unitam & consequenter communicatam. *Nam verbum non potest intelligi, nisi quod fuit in principio, & fuit apud Deum, & Deus fuit, per quod omnia facta sunt, & sine quo factum est nihil, quod factum est*, Joh. i. v. 1. & 3. Hoc autem verbum non potest intelligi incarnatum, sed incarnandum; nam incarnatum ut tale non fuit autem creaturas, ut per ipsum possint intelligi factæ creaturæ, quia in numero & censu creaturarum etiam ipsum quoad carnem fuit. Necessario E. intelligendum est verbum, quod in principio creaturarum non factum est, sed fuit; & causa non instrumentalis, sed princeps rerum omnium creandarum fuit. De isto verbo non composito, sed componendo, non incarnato, sed incarnando, dicit Johannes, *factum esse carnis*. Quod autem factum est caro, utique est caro. Non enim rectè dicere-

ceretur factum esse carnem, si postquam factum est caro, non esset caro; Non esset autem caro, si priorum carnis particeps non esset; propria enim cum subjectis suis recipiuntur, ut neque propria carnis, nisi carni inesse, neque quod propriis carnis destitutum est, carnis nomen & naturam tueri ullo modo possit.

Quemadmodum E. cum dicimus: Verbum esse factum carnem, non intelligimus personam compositam, quæ jam erat composita, factam esse carnem ne cogamur intelligere, Christum hominem factum, & quidem perfectum, iterato factum esse hominem; quia caro in proposito textu non notat nisi perfectum hominem, ex corpore humano & anima rationali constantem; sed simplicem, quæ, cum nondum esset, in temporum plenitudine facta est caro. Ita cum humana propria propter illam carnis assumptionem de eo enunciamus, non intelligimus personam respectu unitæ tantum humanæ naturæ, cui propria illa propter semetipsam, non propter extrinsecum aliquem ad naturam unientem respectum inhærent. Sed respectu naturæ unientis, cui propria illa naturam non inhærent, sed per appropriationem carnis, quæ caro, verbi caro facta est, etiam ipsa verbo appropriata intelliguntur, non ut inhæreant illi, sed ut personaliter ei attribuantur.

Non E. satis est dicere cum Adversariis: Dominum gloria esse crucifixum secundum humanam naturam, intelligendo personam esse crucifixam propter existentem in ejus complexu humanam naturam, cujus proprium est, posse crucifigi; sed necesse est, designare etiam naturam, cui propria ista non propter naturalem inhærentiam, sed propter personalem appropriationem conveniunt. Hic E. animadvertendus est fucus Adversariorum, quo simplicioribus detestanda fraude illudunt.

Nam r. nominant quidem totam personam, ut DEI vel hominis vocabulo designatam, sed in evolutione & resolutione intelligunt propria alterius naturæ, non nisi ei naturæ, cujus sunt propria, esse tribuenda, naturæ unitæ non nisi nominatione relicta, quæ etiam ex ipsa persona contingit. Non enim credi, non dici volunt, naturam divinam characterem geniti determinatam ullo modo esse morti & passionibus in carne assumpta obnoxiam. Totam E. rationem communicationis Idiomatum evertunt, quia neque ratione totius personæ, quæ aliquid præter naturas unitas non est, neque respectu ejus naturæ, quæ sibi proprium, suo jure non ob aliud sibi personaliter unitum vendicat; neque respectu alterius conjunctæ naturæ ulla esse secundum ipsos potest.

2. Clamant atrociter sibi injuriam fieri, quando dicuntur *tolle realem divina & humana natura communicationem, & hominem assumptum solo titulo Deum profiteri, crucifixionemque & mortem ad solam humanam naturam referre*. Atqui judicent quicumque sunt æqui, quantum invidiosæ illi aculationi sit tribuendum. Nam quid realitatis subesse potest jactatæ tam intimæ communicationi naturarum & Idiomaticum, si neque divina humanæ suorum quidquam communicat, neque ab illa, sibi quidquam appropriat? Potest ne sola nominum permutatio, qua Christus ex divinitate Deus, ex humanitate homo dicitur, nomen & statum realis & intimioris communicationis tueri? Aveo audire quorsum se in tanta luce proripere possint, quantumvis lubrici & versipelles antagonistæ,

Personæ toti non potest competere, quod est unius solius naturæ proprium, & nulli alteri communicabile; quia persona non est una sola natura, sed utraque conjuncta. Non potest communicatum aliquid videri, in respectu ejus naturæ, cui proprium per naturam convenit. Reliquum E. est, ut proprium etiam tribuatur vel ei naturæ, cui per naturam nequaquam, sed per unionis gratiam tantum convenit; vel nullo vero & reali modo attribuat: priori manibus pedibusque oblietantur antagonistæ, Ad posterius E. necessaria & inevitabili consequentia compelluntur,

III. Argumentum
Ab Antiquitate Orthodoxa.

Concil.
Ephes.
tom. 1. c. 12.

Non esse novum hoc & Antiquitati orthodoxæ inauditum dogma, controversia Nestoriana evidenter probat, eademque opera demonstrat, quibus calumniis nos hodie à Calvinianis & Jesuitis tantum non obruimur, iisdem in causa eadem petitum esse magnum illum veritatis athletam Cyrillum Alexandrinum, cum Cœlestino Romano, atque universo Ephesino Concilio; Hoc ut omnium oculis & conspectui exponatur, ipsum & Cyrillum & opponentem se ei Nestorium Hæreticum audiemus, ut ex comparatione dictorum utriusque, quis fuerit controversiæ status, eluceat. Dixit Cyrillus Epistola ad Nestorium Concilii Ephesini Ingolstadii Anno 1576. impressi Tom. 1. c. 12. *Sacram & magnam Synodum Nicanam tradere, unigenitum DEI Filium, naturaliter ex DEO Patre natum, DEVM utiq; verum de DEO vero, lumen de lumine, per quem Pater omnia condidit, cælo descendisse, incarnatum hominemq; factum & passum esse, tertia quoque die resurrexisse, & ad cælos ascendisse. Ad declarationis & cautionis loco; non se dicere: Verbi naturam per sui mutationem carnem esse factam, sed neque in totum hominem ex anima & corpore*

poſe conſtitutum, & transformatum eſſe. Sed verbum, dum carnem anima ratione prædita perfectam, inexplicabili incomprehenſoꝝ modo, non ſecundum voluntatem ſentientiarumq; conſenſionem, neq; ruruſum per humana natura aſſumptionem, ſed ſecundum hypotaſin ſibi uniti, & hominem factum, & hominis filium appellatum eſſe. Ad hunc itaq; modum, inquit paulò poſt: qui ante omne ſeculum ſubſiſtit, & ex patre ortus fuit ſecundum carnem ex muliere natus dicitur, non quod divina illius natura aliquod exiſtentia initiũ, ex ſacra virgine ſumpſerit, aut quod poſt primam ex patre, altera ruruſum propter ſemetipſum generatione indigerit; ſed quod propter nos & propter noſtram ſalutem, humana natura ſecundum hypotaſin ſibi unita ex muliere naſci voluerit. Atq; hinc eſt, quod ſecundum carnem natus prædicetur. Non enim vulgaris quiſpiam homo ex virgine ortus eſt, in quem DEI verbum ſeſe demiferit; ſed in ipſo utero carni unitum, ſecundum carnem progenitum dicitur, quaſi ſua carnis generationem ſibi ut propriam vendicans. Ad eundem modum illud quoque paſſum & reſuſcitatum dicitur, non quod Dei verbum, aut plagas, aut clavorum figuras, aut alia id genus incommoda in propriam naturam exceperit; Nam ut divinum numen corporis expers eſt, ita perpeti quoque nihil poteſt; Sed quia corpus, quod ſibi adſciverat, iſt hæc expertum fuerat, eam ob rem, & ipſum quoq; noſtri cauſa ejuſmodi perpeſſum aſſeritur, impatibile enim verbum in corpore exiſtebat patibili.

Intelligunt hæc, quotquot puro & à partium ſtudio abducto intellectu hæc intuentur, Cyrillum & cum eo Oecumenicum Concilium Ephelinum ex amuſſim cum doctrina noſtrarum Eccleſiarum ſuperius propoſita congruere. Nam & nos fatemur, verbum ſeipſo æternum & ex ſolo patre natum, ſine ulla ſui mutatione aut diminutione factum eſſe carnem, hoc eſt, perfectum hominem ex corpore & anima rationali conſtitutum, & ut unione ſecundum hypotaſin incomprehenſibili & inexplicabili, qua hypotaſis verbi, facta eſt etiam carnis hypotaſis, carnem ſuam & propriam hypotaſice fecit, ita cum eadem etiam nativitate ex virgine, paſſionem, figuras clavorum, & mortem denique ſuam & propriam feciſſe, ut quemadmodum vere dici poteſt; Maria Deum genuit, quia carnem Deo verbo hypotaſice unitam genuit; Ita veriſſimè & rectiſſimè dici poſſit & debeat; Deum verbum paſſum ſub Pontio Pilato, crucifixum mortuum & reſuſcitatum eſſe, quia hæc omnia in carne hypotaſice ei unita, ei que propria effecta contigerunt.

Quod admirationi eſſe poteſt, non exhorruit Clerus Conſtantinopolitanus approbante Cyrillo, iſta tempeſtate *phraſes, de nata ex Maria divinitate*

vinitate, de verbo nato secundum divinitatem. Damnaverunt enim in Nestorio Samosateno istas propositiones: Maria verbum non peperit; Maria divinitatem non edidit; divinitati, qua tempora condidit, mater temporanea non est assignanda; fieri non potest, ut Maria ex se genuerit seniore se; Ergo necesse est, ut contradictorias probarent, non quod divinitatem ipsam ex Maria edi posse putarint; sed quod eam in carne hypostatice unita editam esse, quatenus nativitatis caractere determinata est, crediderint. Qui sensus cum Orthodoxus sit, non tamen imitanda videtur phrasis, ne ex ea male intellecta *ερωδοξία* blasphemandi occasionem arripiat, ipsam divinitatem in se esse ex Maria editam. Tutius & securius verbum ex Maria editum, aut si vocabulum divinitatis omnino retinendum videtur, divinitatem in carne ex ea natam esse dicemus.

Concil.
Ephes.
Tom. 1.
c. 13.

Operæ precium est videre, quid Cyrillus responderit Nestorio, ut ex comparatione intelligatur non ovum ovo esse similius, quam sunt Calvinianorum superius producta dicta Nestorianis. Arbitratus es, inquit T. I. c. 13. verbum Patri coeternum patibile à Nicenis patribus traditum esse, penitus si ita videtur illorum dicta introspecte, & plano mox sensu comperies, divinum illum patrum chorum nusquam docuisse hominiam divinitatem (calumnia) patibilem esse; aut qua patri coeva est, recens natam esse; aut qua templum solatum exsuscitavit, exsuscitaram esse. Quod si ad fraternam medicinam patientes aures attuleris, sanctorum patrum verbis in medium allatis ab ea Sycophantia, qua & patribus & divinis quoque Scripturis evidenter adversatur, te literabo. Ajunt ergo: Credimus in Dominum nostrum Iesum Christum, Filium ejus unigenitum. Observa hic quomodo Dominum nostrum Iesum Christum unigenitum; Nomina utriusque, qua humane divinaque natura ex aequo conveniunt, proinde ac fundamenta quadam substernunt: es incarnationis, mortis & resurrectionis traditionem illico subjungunt superstruantque, nomine, quo communibus quibusdam nominibus utramque naturam significantibus propositis, neque ea, que filiationis & proprietatis sunt, scindantur, neque ea rursum, que naturarum sunt propter filiationis singularitatem in confusionis periculum adducantur, qua quidem in te Pauli auctoritatem securi sunt; Hic enim divina incarnationis facta mentione, eaque subjuncturus mox, qua passionis orant, primo, τὸ Χρῆστος, nomen utriusque natura commune ponit, ac doctrinam statim utriusque ex aequo congruentem subnectit. Quid ergo dicit? Hoc, inquit, sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui cum in forma DEI esset, non

τῆς

rapinam arbitratus est, se esse aequalem Deo (singula enim prosequi non at-
tinet) factus est obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis, Phil. 2. v. 5.
quia n. mortis facturus erat mentionem, ne quis hinc Deum verbum patibile
esse colligeret, subjungit nomen hoc Christus, quod utramq; naturam pati-
bilem, inquam, & impatibilem in unica persona denotat; quo idem nimirum
Christus patibilis simul & impatibilis citra fidei discrimen concipi queat.
Illud quidem secundum humanam naturam, hoc vero secundum divi-
nam &c. In eo autem, non injuria te laudo, quod distinctionem naturarum
secundum divinitatis & humanitatis rationem, harumque in una perso-
na duntaxat conjunctionem predicat, quodque Deum verbum, altero illo,
qui videlicet ex muliere est, ortu minime indignis affirmas, & quod divi-
nitatem tandem pati non potuisse, diserte pronuncias; Hac omnia & ve-
ra & orthodoxa & vanis omnium hereticorum circa Domini naturas
opinantibus quam maxime adversa sunt; At vero, utrum reliqua, occul-
tam aliquam & incomprehensibilem sapientiam legentium auribus infe-
rant, id tuae solertia fuerit dijudicare, mihi sane, cum antecedentibus adeo
non coherere videntur, ut ea omnino quoque evertere existimem, Etenim
quem antea neq; patibilem, neq; secundae generationis capacem aut ama-
veras, hunc ipsum rursus patibilem, nuperq; nescio, quando productum asse-
veras. Quasi vero, quae in DEI verbo naturaliter conveniunt, ea templi, hoc
est, corporis conjunctione penitus abolita sint; aut parvi apud homines fieri,
debeat templum illud, nullo unquam peccato contaminatum, divinaq; natu-
ra indissolubili nexu colligatum, peccatorum nostrorum causa & natum &
mortuum esse; aut denique Domino Iudaeos ejusmodi oratione complectentis
solvite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud, fidem habere non
oporteat. Ecce non dicit: Solvite divinitatem meam, & intra triduum ex-
suscitabo illam; Sed solvite templum hoc &c. Vbi unq; igitur divina Scri-
ptura Dominica dispensationis mentionem faciunt, cum incarnationem,
tum ipsam quoq; mortem & passionem non divina, sed humana Christi na-
tura semper tribuunt. Quapropter, si rem diligentius consideremus, sacra
virgo non *θεοτόκος* Deipara, sed *χριστοτόκος* Christipara appellanda erit.

Quid vobis videtur? Nonne Tossanum aut Paræum aliquem ex
Heidelberga, aut Thedorum Bezam Geneva Calvinianorum dogma-
tum heterodoxorum incrustatores audire videmini, uno animo & sen-
tu quasi in uno ludo edocti ad malitiam essent, cum impio Nestorio asse-
rentes, de tota quidem Christi persona, utramque naturam comple-
xa utriusque naturæ propria, posse & debere enunciari, notata natura
C secun-

secundum quam quodlibet eorum toti personæ convenit, nullo modo autem concedentes propria naturarum etiam iis naturis, quarum propria non sunt, propter unionem & communicationem cum ea natura, quarum propria sunt, esse vere & realiter attribuenda.

Itaque concessit Nestorius, Mariam esse Christiparam, quia peperit eum, qui cum filio Dei constituit unum Christum: esse autem eandem Deiparam noluit concedere, causatus nativitatem, passionem mortem cæterasque carnis proprietates, divino verbo adscribere, esse mentis paganorum more fere errantis, aut certe insanæ Apollinarij & Arrii aliorumq; hæreticorum morbo aut alio etiam graviore laborantis. Nam qui appropriationis vocabulum ita detorquent, illos Deum verbum lactationis participem, succedanei incrementi capacem, & ob formidinem passionis tempore declaratam, angelici præsidii indignum extitisse fateri oportere; missa se facere circumcisionem, sacrificium, sudorem, famem, aliaque ejusmodi, quæ carni cohæserunt, nostrique causa eidem acciderunt, quæ si divinitati adscribere lubeat, & falsa sint futura, & defensoribus velut Sycophantis justæ damnationis causam allatura.

Concedunt etiam Calviniani, Christum esse natum ex Maria virgine, passum sub Pontio Pilato, crucifixum mortuum & sepultum, quia in Christo contineatur humana natura, quæ hæc omnia sit passa. At quando urgentur, ut nobiscum & cum orthodoxa antiquitate fateantur, verbum æternum, vel quod idem est, divinam naturam caractere divinitatis determinatam ex Maria natam, in carne assumpta passam, mortuam & resuscitatam esse, ibi tunc cunctantur, tergiversantur, & tandem in calumnias erumpunt, arguentes nos immutabilem & consequenter impassibilem divinitatem mutationibus & passionibus subicere. Eum, qui æterno patri coævus est, in tempore ortum credere; Indeque ducto primordio nos absurdis consequentibus obruere conantur, prætendentes eandem esse omnium priorum humanæ naturæ rationem, debere non ut divinitatem natam, passam, mortuam; ita eandem lactatam, successivo incremento auctam, circumcisam, fame & siti afflictam, & tandem mortis horrore consternatam, auxilii alieni indigam profiteri.

Congruunt E. cum Nestorianis non tantum sententiis, sed & calumniis & argumentandi modis, qui utcumque imperitoribus blandiantur, omni tamen veritatis fundamento sunt destituti. Caput erroris est; quod præsupponunt: *Nos divinitati genitæ per se passionem, mortem, resurre-*

resurrectionem tribuere. Quo præsupposito, nec nos omnia illa infanda paradoxa consecretaria esse, inficiari possumus.

At quis unquam talia vel per febrim cogitavit? Cyrillus & Concilium Ephesinum & cum iis nostrates Theologi, non tribuunt verbo patri coæterno ortum ex virgine; nisi quia & quatenus caro factum est. Non propter aliquod suæ propriæ existentiae primordium ex virgine; sed propter conjunctionem cum carne, quæ, cum propria facta sit τῷ λόγῳ, non potest non quiddam carni proprium est etiam λόγῳ proprium factum videri. Non est E. divina natura in se patibilis facta; sed in carne, quæ cum passa sit, non potest non divina natura genita, idem essentialiter cum patre existens, ut verè & realiter facta est caro; ita etiam verè & realiter passum videri.

Johannes certe Apostolus I. Epist. c. I. *Verbum æternum, inaspesabile, intangibile, oculis visum & manibus contrectatum dicit, non nisi carne in assumpta.* Nulla E. ratio est, cur non & nos idem Verbum in tempore ex Maria ortum, idem immutabile verbum in carne assumpta, passum mortuum, resuscitatum, lactatum, circumcisum, fatigatum possumus & debeamus dicere. Quam verè Johannes dixit; *Verbum visum, auditum & contrectatum esse*, quia caro visa audita & contrectata est; tam verè nos verbum, passum mortuum, resuscitatum, lactatum, circumcisum, fame & siti maceratum, fatigatum itineribus & molestiis aliis profitemur; qua caro assumpta passa, mortua, resuscitata, lactata, circumcisa, fatigata & consternata est. Atque verissimè & realissime, visum, auditum & contrectatum esse Verbo tribuuntur; quia *verbum factum est caro*, cui omnia ista proprie coherant. E. nemo turbari debet; quod nostrates non tantum verbum, sed etiam divinitatem genitam, in carne passam dixere, quæ phrasis etiam aliquos nostratium offendit.

Nam I. ea non est nova, Constantinopolitanus Clerus cum Cyrillo damnarunt in Nestorio etiam istam propositionem, quæ dicebat: *Fieri non posse eum, qui ante omnia secula natus est semel, denuo nasci, idque secundum divinitatem.* Contradictoriam E. probarunt: *Eum, qui ante omnia secula natus est semel, nasci denuo in carne assumpta, idq. secundum divinitatem.* accipiendo particulam, *secundum*, non pro nota subjecti in hætionis, cui passio ut proprium convenit; sed pro nota subjecti attributionis, cui passio non nisi propter conjunctionem cum illo convenire potest.

2. Non est nisi rei subjectæ conveniens ; Nam si de prædicatione priorum agatur , possent utcumque adversarii nugari , intelligendum esse in subjecto , verbum incarnatum , de quo propter utriusque naturæ complexum , propria cujusque naturæ , possint & debeant enunciari. At quando agitur de prædicatione naturarum , obmutescere oportet dicacissimas alioquin linguas. Nam quando dicitur : v. c. *Verbum caro factum est* ; non potest ullo modo verbum accipi , pro tota persona , sequeretur enim inevitabile & maximum paradoxum : Verbum incarnatum denuo esse incarnatum , quod inhumanatum est , denuo inhumanari. Et si caro etiam pro tota persona accipiatur , Christum factum esse Christum. Sed necessariò accipiendum est pro *λόγῳ* , vel quod idem est pro divinitate genita , quæ , quod non erat , in temporum plenitudine facta est caro. Et quia de quo subjectum prædicatur , de eodem necessario etiam prædicanda sunt propria subjecti ; sequitur , quemadmodum non totus Christus , sed verbum vel divina natura genita a facta est caro , ita non totum Christum , sed verbum vel divinam naturam genitam , conceptam esse de Spiritu S. natam ex Maria Virgine , passam sub Pontio Pilato , crucifixam , mortuam , & resuscitatam. Non enim magni Mysterii res est , si conceptio , nativitas , passio , crucifixio , mors & resuscitatio ei naturæ tribuantur , quæ ex naturæ conditione apta nata est ea sustinere. Hoc a. admirandum & de prædicandum est mysterium , quod etiam Angeli cum stupore aspexerunt , ad cuius conspectum turbata & mota est terra , disiluerunt saxa , obscuratus est Sol. Quo prædicatione apostolica adducti credimus , ipsum DEI verbum hypostatica unione carnem assumptam ita sibi propriam fecisse , ut in sese inconvertibile , incommutabile , & post æternam ex patre generationem innascibile , in ea nativitatem ex virgine , crucifixionem , mortem , & quæ alia sunt humanæ naturæ consecutaria sustinuerit.

Hoc Apostoli credi voluerunt in Symbolo , cum credendum docerent in Iesum Christum , Filium Patris unigenitum Dominum nostrum , conceptum de Spiritu Sancto , natum ex Maria Virgine , passum sub Pontio Pilato , crucifixum , mortuum , & sepultum , qui descendit ad inferos , tertia die resurrexit à mortuis. Hoc repetierunt Patres Nicææ à Constantiniano Imperatore convocati , cum testarentur ; se credere unigenitum DEI Filium , naturaliter ex Deo Patre natum , Deum verum de Deo vero , lumen de lumine , per quem Pater omnia condidit , cælo descendisse , incarnatum

natum hominem factum & passum esse, tertia quoque die resurrexisse, & in caelos ascendisse.

Faceſſat ergo Neſtorius cum ſuis ſequacibus Calvinianis. Non tantum de perſona utriusque naturæ propria, propter utriusque in ea concurſum & complexum; ſed etiam divina de humana, & humana de divina natura, in concreto tamen unionis, ſunt prædicanda. Non tantum dicendum eſt, Chriſtum eſſe natum ex Maria Virgine, quia in ſe continet humanam natam ex ea, quo veluti ſpectro objecto, plurimorum oculos perſtringere voluit Neſtorius, ſed addendum eſt, verbum DEI unigenitum, quod non factum eſt, ſed fuit in principio, & DEUS fuit, per quod omnia facta ſunt, quæcunque facta ſunt, natum eſſe ex Maria Virgine, non quod ipſa divina natura charactere geniti determinata, quæ ab æterno ſine principio temporali fuit, & qualis fuit immutabiliter permanet, principium temporale exiſtendi cœperit, (quis enim hoc, niſi inſigniter ſtolidus vel ſomniaret) ſed quod illa, qualis ab æterno fuit, ſine omni ſui mutatione & converſione facta ſit caro, h. e. homo anima & corpore perfectus. Et cum aſſumpta ſibi in unitate perſonæ appropriata natura humana, ſibi etiam, quæcunque ſunt ejus propria appropriavit. Ita rectè dicimus, qui vidit Chriſtum in aſſumpta humana natura, Filium DEI perſonaliter cum eo unitum, & propter eſſentialem Patris & Filii unitatem etiam Patrem vidiffe: *Apoſtolos vidiffe & correctiſſe verbum vita, quia viderunt & correctarunt carnem, verbo vita perſonaliter unitam: Dominum gloria eſſe crucifixum, cum caro ipſi unita perſonaliter crucifigeretur.*

Non ergo calumniandi cauſam impuriſſimus Neſtorius habuit, & dicendi, *patibilem Dei naturam fieri impatibilem; ſeſe bi-meſtrem aut tri-meſtrem Deum non agnoſcere; Arrianiſmum bipotentibus portis recipi.* Hæc enim rectè dicerentur in eos, qui divinitatem ipſam, per ſenatam, contrectatam, paſſam, mortuam, reſuſcitatam dicerent; in eos autem nil tale dici ſine calumnia poteſt, qui verbum immutabile in carne aſſumpta, ſine ulla ſui mutatione paſſum eſſe dicunt, qui cum Baſilio Magno, ſanctiſſimo primo Cappadociæ Epifcopo profitentur: *Non cœ-* Concil. L.
lum non terram, non marium ſpatia, non qua in terris & in aquis degunt phes. pag.
animantes, non plantas, non ſtellas, non ærem, non anni tempora, non va- 364.
rium totius univerſi ornatum, tantam potentia magnitudinem oſtendere,
quantum immenſum illum inſinitum, & impatibilem Deum per carnem
aſſum-

assumptam, morte potuisse teneri, ut per propriam perpeſſionem suam nobis impatibilitatem impertiretur. Quæ potest hic esse potentia divina monstratio, si humana natura sola ita subiit passiones, ut de iis ad verbum, si nominum commutationem excipias, quæ propter aliquem capitis & corporis etiam inter nos, & Christum intervenit, nihil redundarit.

Concil. Ephes. pag. 365.

Non possum mihi temperare, quin Sanctis. Gregorii Episcopi Nysseni eodem in Concilio pag. 365. productum, reproducam: quid servi forma, inquit, de Deo dici potest abjectius? quid de omnium Rege humiliter, quam quod sponte ad abjecta natura nostra consortium sese abiecit; Rex Regum Dominus dominantium servi formam induit; omnium Iudex, mundi huius dyastis vectigalis efficitur; totius creatura Dominus in antrum abiecitur: qui complexu suo ambit omnia, locum in diversorio non invenit, sed in brutorum animantium praesepi reclinatur. Mundus & immortalis, huius nature sordes non averſatur, omnemque mendacitatis nostra miseriam transgressus ipsam demum mortem perpetitur. Voluntaria huius paupertatis & abjectionis mensuram perpendite! vita degustat mortem, Iudex in praetorium abducitur, omnium viventium Dominus iudicis sententia subiecitur; omnium caelestium virtutum rex, carnificum manus experiri non gravatur; Hoc humilitatis exemplum, hunc abjectionis modum nos expendere Apostolus monet.


Maximum utique exemplum & merito expendendum; Si carne assumpta hæc talia patiente, verbum ipsum in se immortale, incommutabile & impatibile propter hypostaticæ unionis & communicationis rationem, eadem omnia perpeſsum dicatur. Sin autem omnia ista ad personam ita referuntur secundum humanam naturam, ut à divina verbi natura omnino removeantur, quis non videt, quam omnia frigeant? nam hoc non est aliud quidquam, quam verbum ab æterno genitum, à carne, ne ei hypostaticè unitum videatur,


tur, removere, sublata hypostatica unione duas personas introducere & totum redemptionis opus devastare.

Nam cui propria carnis, puta passibilitas, mortalitas, nullo modo vero & reali competunt, ei nec ipsa caro, cui inseparabiliter connexa sunt, ullo modo & reali modo competere potest: Atqui prius non tantum concedunt, sed totis viribus, nullis non machinis adhibitis propugnant Adversarii Nestoriani & Calviniani. Non possunt E. posterioris invidiam ullo modo fundamento à se amoliri; secundum ipsos ergo nulla est unio hypostatica; nulla est hypostasis communicatio; verbum non est factum caro, & consequenter non est caro, homo purus nullo hypostatico modo verbo unitus pro nobis passus est.


Hoc est, quod Patres Ephesini in Nestorio; Lutherus in Zwinglio, horruerunt & damnaverunt. Hoc nunquam ulla Sophistica eludet; nam quidquid illi de conjunctione & unione in persona deblaterent, hoc tamen perpetuum & immutabile est, & erit: *Sublato consequente necessario & inseparabili tolli necessario etiam antecedens.* Vel ergo appropriatio priorum carnis respectu verbi assumptis; & communicatio divinorum Idiomatum respectu carnis assumptæ, concedenda; vel unio hypostatica subvertenda & evertenda est. Prius nunquam facient adversarii, nisi melius consulti sententiam hætenus tam obstinate defensionem mutare voluerint; quod optare possumus, sperare vix possumus. Est enim destructio totius, quoad hoc dogma, Calvinianismi; ad posterius ergo necessario compelluntur.


F I N I S.






Handwritten text on the left edge of the book, likely a page number or title, partially obscured by the binding.







quid nūc oām cogitationē dē
rebus huiusmodi

relinquere et in
omnia bona opera
mea

persequi et in omni
bono opere
meo

Am
18

contradicere, qui sine exceptione nos salutaris erudiri ad pietatem, justitiam & temperantiam affirmabit, ille nostræ sententiæ apertissimè suffragari non parere eruditioni gratiæ est causa impietatis, sequitur ex adverso, parere eruditioni pietatis, justitiæ, temperantiæ, nisi quis absurdum jubentur ab infidelitate ad fidem transire; & ab infidelitate desideria abdicare, vitamque hanc transigere, & temperantiâ transigere,

3. Transire ab infidelitate ad fidem non tantum, sed Spiritus Sancti proprius effectus, est, ut probatione non opus habeat. Qui fidem, verè in sese habent Spiritum Sanctum credunt, sine cujus virtute non possunt salvari; 1. Corinth. 12. vers. 3. Ubi autem non est, ibi diffundit charitatem in cordibus nostris, ut qui fidelis est, sit facinorosus, aut flagitiosus; 2. cap. 1. v. 3. Omnia nobis divinæ virtutis, quæ sunt, donata esse profitetur; per cognitionem propriam gloriâ & virtute. Et eadem epistolâ eisdem nostris saluatoris Jesu Christi. Epistola dicit; voluntariè peccantibus, post acceptam misericordiam, non relinquitur aliam pro peccatis hostiam; sed ut est in probationem judicii, & ignis æmulationem, contra adversarios. Notandum hoc, qui voluntariè peccant, non habent ullam reliquam hostiam amiserunt. Quomodo ergo credunt, qui Christum hostiam non habent? An

4. Dilemmate urgemus adversarios. intelligunt nudam historiam de CHRISTO non

tionem
in qui
enim
atem-
usam,
velit,
arere,
in ju-
e, ju-
uma-
idum
abent
tione
inum
Chri-
ergo
Petrus
tatem
it nos
e qui-
e Do-
v. 26.
s, non
expe-
sit a-
eptam
ristum
m pos-
ere in-

fidei
plo in-
lectu

